



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Bonifacivs Ep. Mart. 19. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

que enim quemquam postea pudit tot cælestis sapientiæ insignia circumferentem, prospicientem futura, familiarem Angelis consulere, aut audire monentem. Viri Principes agendas illi suas apud Superos causas detulere, certa spe victoriæ, si patrocinium suscepisset. Et hoc tantum orbis miraculum anno M. D. V. terras deseruit, ne queri ququam possit, nullam nostro ævo magnam virtutem gigni. Quid vis? an ulli Deus invidet suam crucem? sed nos delicati humeros subducimus.

*Ex Phil. Fer.*

*Tolle Crucem tuam, & sequere Iesum, & sibi in vitam aternam: precessit ille bajulans sibi Crucem, & mortuus est pro te in Cruce; ut & tu tuam portes Crucem, & mori affectes in Cruce. Thom. à Kemp. l. 2. c. ult.*

S. BONIFACIUS EP. MART.

19. Iunii.

**F**VIT BONIFACIUS Ottoni Imp. sanguine, plus amicitiam junctus, quæ quidem tanta inter illos erat, ut cum familiariter illum hic compelleret, animam suam identidem diceret. Liberalibus artibus omnibus, musicis præcipue instructus, dum modulos in æde cognominis sibi D. BONIFACII instruit, cælesti Numine repente afflatus. *Hæus!* exclamat, *quid vanã ego nominis umbram gero? quid Martyris titulum circumfero, si non victoriam etiam & palmas? Superos testor, & cognominem Divinum, aut non dicar BONIFACIUS, aut ero.* simul ad monasterium abiit Martyrii tyrocinia positurus. Avelli Ottoni animam suam vidisses. At ille bis tantum in septimanã cibum capiens, crebro interitum corpus in vepres abiciens ad martyrurum par-

cientiam se durabat. Post Romam profectus, & Archiepiscopatus honore mactatus, & jam ad purpuram aspirare ausus, in Russiam abiit. Ibi post multa ludibria rex cum Divo ita paciscitur: Si rogos geminos, qui iuncti flammam sociarent, illaesus perambulet, tum sese etiam in Christianorum sententiam pedibus ambulaturum. Dictum factum: BONIFACIVS per rogam, rex ad partes Catholicorum transit. Ad regis porro exemplum innumera multitudo confluit. Mox sua laborem premia secuta. BONIFACIVS a germano Regis capite truncatus, nomini denique suo satisfacit. Ex Pet. Damiano ap. Sur. in vita S. Romualdi.

Vniuersi Christiani agnoscant se regii generis, & sacerdotalis officii consortes: quid enim tam regium, quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? quid tam sacerdotale, quam uovere Domini conscientiam puram, & pieratis hostias de altare cordis offerre? S. Leo serm. 3. in ann. Ass. suæ.

S. ROMVALDVS AB. 19. Iunii.

Spectator forte ROMVALDVS adfuit, cum patrens duello germanum suum sustulit. Itaque cum animo suo putans censuit, quod pater manu, hoc se oculis parricidium perpetrasset. Quare ad noxam expiandam, concedere ad aliquod tempus in cœnobium statuit. Sed familiaritate cœnobitæ, nescio cuius, & aspectu è cœlo semel iterumque ad se venientis D. Apollinaris captus, pedem, ne sapius offenderet, nunquam iam referre in mundum statuit. Quare fundamenta Ordinis illius jecit, quem hodie Camaldulensem dicimus; quæ quidem in quantum brevi fastigium assurrecturus esset, scæla indicarunt ROMVALDO per quietem.